

π c
760



Q. K. 2



178
II c
760

FELICITANTE DEO!
COMMENTATIO
PHILOSOPHICA

Ad

Illud HORATII Lib. III. Od. VI.

*Ætas Parentum peior avis tulit
Nos neqviores &c.*

Quam,

Amplissimâ Facultate Philosophicâ
annuente,

In

ALMA LIPSIENSI,
PRO LOCO

*In Eâdem D. V. Obtinendo,
prima vice*

Placidæ Eruditorum censuræ

subjicit

ANNO MESSIAN. MDC XCIII. D. XXVI. Aprilis

**M. CHRISTIANUS DAVID
FUNCCIUS,**

Gorlicio-Lufatus.



L I P S I Æ,

Typis ANDREÆ ZEIDLERI.

Mons. de Wamstedt

S. 57.



FELICITANTE DEO!
COMMENTATIO
PHILOSOPHICA

AD
ILLUM HONORABLEM ET
REVERENDUM PATREM
MAGISTRO THEOLOGICO


ACADEMIAE PHILOSOPHICAE

PRO FOCO

M. CHRISTIANUS DAVID
FUNCIUS

ANNO MDCCLXXV. MDCCLXXV. D. XXV. Aprilis

IN
VIA ANDREAE ZIEGLERII



Handwritten note in blue ink at the bottom left corner.





ב"ש הקבה:

ΠΡΟΛΑΙΟΝ.



Virtus HORATIUS FLACCUS,
Venusinus ille Vates licet laude sua
amplissimâ minimè sit privandus,
quippe qui habitu corporis quidem
brevis & obesus, præstantiâ tamen
animi magnus fuit. Huic enim Poë-
tæ, referente id *Opt. Parente meo in*
Rect. Rhet. Scholast. p. 668. elegantiam
numerorumque peritiam Naso, gra-
tiam ac veritatem Quintilianus, cultum & Poëticum decorem
Tacitus, sapientiam & calliditatem Persius, elucubraram dili-
gentiam Juvenalis, solertiam Apulejus tribuere haud dubi-
tant, unanimi consensu suffragantes, Horatianas Odas omni-
nò lectu dignissimas esse. Licet, in isto, laude hâc suâ magnificâ
minimè sit privandus Vates noster: culpari tamen ac repre-
hendi omni jure meretur vel indè: quod prudentissimus aliàs
imprudenti plebis judicio suum persæpè adjiciat calculum.
Præsens Commentatio Philosophica testimonium rei hujus adfe-
ret luculentissimum. Nil videlicet solemnius fermè impru-
denti est plebi, in quò magis jactentur ejus verba; quàm de-
plorare Seculi nostri Conditionem præ illâ, quæ Veteribus
quondam concessa fuerit. Deplorat hæc, erroneâ opinione
inducta, naturam ætatis nostræ debilitatam & diminutam:
tenet mordicùs: mores duntaxat nostros esse depravatos, nostri
Seculi esse dehonestamenta propria; priscos omne commer-
cium

cium habuisse cum Virtutum choro: quasi non eadem semper fuerit hominum deprehensa indoles naturæque ad vitia proclivis nimia facultas: quasi non eadem naturæ semper fuerit facies. Atq; hanc vulgi opinionem suffragiò suò adprobat Lyricæ festivitatis Antesignanus & Romanorum Pindarus, *Librò III. Od. VI. canens:*

Ætas Parentum peior avis tulit


Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitiosorem.

Verba sanè cùm veritati non respondeant, omninò reprehensione digna; digna & ipsa, ut vel propterea accuratiori subjiciantur meditationi. Meditabor ego ea pro viribus ingenii judicii que modulo, (cùm juxta Ebræorum illud *מזרו למצור* *מעושה המצור* *intentio & conatus boni operis pro opere ipso habendi*) ac paucis, quantum à veritatis tramite deflectant, adaperiam. Geminam verò exindè depromam quæstionem; *An Ætas nostra Patrum atate tam PHYSICE quàm MORALITER sit peior reddita?* Utramq; ita delineabo, ut quæstionem primò proponam, deindè ficulneas plebis rationes tradam, & denique responsa tùm ex Collatione atatum priorum summaria tùm è ratione rectè petita afferam. Faxit DEUS feliciter!

SECTIO I.

§. 1.

 *Di profanum vulgus & arceo.* Rectè quidem Flaccus noster *L. 3. Od. 1.* cecinit, sed an dictis responderit factum, præsens enudabit Philosophica in suprà allegatum Horatii locum Commentatio. Dudum verò inter emunctioris Naris viros & natos de fece plebis filios agitari cœpit quæstio: *Num Ætas hodierna Majorum nostrorum atate tam PHYSICE quàm MORALITER sit peior?* seu, quod idem

idem est, *An Natura nostra ætatis naturata sit debilior Patrum ætate reddita omnibusq; progignendi viribus fermè privata; & an Mores nostri Seculi Majorum avò sint deteriores.* Negantium partes tenent Prudentiores: affirmantium verò variabile illud vulgus, quippe quod pauca ex virtute & veritate, ex opinione multa æstimat, amplectitur sententiam. Sententiam igitur plebis cum adprobet noster Vates, facilè apparet, quàm parùm dictis responderint facta, & quàm procul profanum, id est, rude ac indoctum vulgus à se arcuerit Horatius, utrumque expressis verbis, posterius quidem *κατὰ τὸ ῥηθόν*, prius vero *κατὰ διάνοιαν*, ut in Scholis distinguunt, asserens.

§. 2. Occasionem seu ansam de corruptis ætatis suæ moribus conqverendi verbaq; suprà allegata in medium proferendi & ex animo scribendi Horatio dederunt indomitæ, ut *Tullius 3. Verr.* loquitur, & effrenatæ seculi sui cupiditates, & imprimis extrema Romanorum impietas Deorumque neglectus ac contemptus. Varia varii generis nefanda, execranda, detestanda scelera, crimina & flagitia occasionem præbebant Flacco conqverendi de corruptissimis suæ ætatis moribus, quos non meliores, sed peiores atque vitiosiores vaticinabatur; eleganti & ipse usus Rhetorum Schemate, quod *κλίμαξ* seu Gradatio dicitur. A præteritò namque Vates progreditur ad præsens, à præsentì ad futurum tempus, h. m. *Avis Parentes fuerunt, Parentibus nos sumus, nobis nostri liberi erunt deteriores.* Putat itaque Poëta, semper mores seculi futuros esse peiores, deteriores, vitiosiores atque inde imminere nostris tergis graviolem gravioris delicti pœnam & majus damnum, cum naturæ ipsius naturatæ debilitatione, consummatione & interitu conjunctum.

§. 3. Sit igitur quæstio prima: *An scilicet ætas nostra Patrum ætate sit physicè peior? seu, An Natura naturata nostræ ætatis universaliter sit debilior reddita & omnibus aliquid progignendi viribus fermè privata?* Negativam nos defendimus, statuentes; *Naturam naturatam per posteriorum temporum cum prioribus*

collationem, nec ratione sui totius, nec ratione partium universaliter & perpetuò in pejus ruere. Intelligimus verò per Naturam naturatam, missis aliis ejus acceptionibus, de quibus videndus Philosophus L. 5. Metaphys. c. 4. & L. 2. Phys. c. 1. Universum cœli & terræ Systema, illud hominum, ut Tullius ait, domicilium longè pulcherrimum, quò in nil neq; ad magnificentiam magnificentius, nil decentius ad decorum, ad ordinem nil concinnius, nil ad sapientiam sapientius aut perfectius excogitari ac ne fingi quidem potest. Sic itaq; dum Naturam naturatam universaliter & perpetuò in deterius ruere negamus, illam pro cœli & terræ compage sumimus, ruinamq; in deterius universalem ratione omnium in eâ corporum intelligimus: ut hic evadat sensus: Compagem hanc cœli & terræ cum omnibus corporibus, quæ iis includantur, successu temporis ab initio ad finem decurrentis, suâ naturâ in deterius non labi nec ruere.

§. 4. Ratiocinantur verò a affirmativæ sententiæ Patroni in genere: *Elementa in se transmutantur, mixta corpora alterationi & diminutioni sunt obnoxia, terræ aliquid per lapsum & diluvium decesit, Vitæ in hominibus longitudo discrepat, nonnulla denique planè occidunt: Ergò, Natura naturata in deterius ruit. Verum nil contra universalem naturæ naturatæ ruinam hæc facere cum Philone de Mundi incorruptibilitate existimamus. Egregia enim in Elementis virium est compensatio, censente Jonstono Diatr. de Naturæ Constantiâ p. 9. æqualibus justisque regulis ac terminis vices suas dispensantium. Mutuantur illa vicissim sibi succedentia, & quod diceret incredibile, dum mori videntur, redduntur immortalia, iterum atque iterum metiendo idem stadium ac sursum & deorsum per eandem viam cursitando continuo. Licet & porrò olim aliquot sustulerit Pelagus Insulas: aliquot tamen iterum natas ac datas ex Historiarum intelligimus monumentis. Imò fecunditatem aut squalorem non modò non ubiq;, sed nec perpetuò imposuit DEUS. Olim terræ proventibus felices, sterilibus nunc arenis informes ac vastæ: quæ quondam crudò aère horrebant,*

rebant, non tantum jam in fruges, sed & in voluptatum instru-
menta luxuriant. Sic itaque

Genitum nil moritur,

Sed transpositum ultrò citroque

Formam priorem alterat.

§. 5. Objiciunt dein in specie duo S. Scripturæ loca, quorum prior ex Libro Apocrypho, alter ex Libro Canonico petitus. Prior Apocryphus extat *Esdrae L. 4. c. 5. comm. 54. Considera ergò & Tu, quoniam minori staturâ estis, præ his, qui ante vos & qui post vos, minori quàm vos, quasi jam senescentes creaturæ & fortitudinem juventutis prætereuntes.* Alter Canonicus desumptus ex *Epistolâ D. Pauli ad Rom. C. VIII. 20. 21. scribentis: quòd vanitati mundus sit subiectus, & quòd liberandus sit ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Vera equeidem hæc sunt omnia: sed ne quicquam tamen indè vel sententiæ nostræ demitur, vel adversæ accedit. Locus quippe Apocryphus nil habet *Esdrae* præter falsò emendicatum nomen & injuriam maximam. Apostolus verò infirmitatem tantum, impuritatem & deformitatem creaturæ per lapsum contractam innuit. Innuit declinationem simul individuum & specierum ad totalem & finalem per ignem dissolutionem properationem, illarum denique abusum cum creatoris infamia & illius servorum damno conjunctum perstringendo. *Conf. 2. Petr. III. 4.*

§. 6. Diversas prætereà è Libro Naturæ urgent rationes, quas nimis prolixum foret adducere: nos itaq; brevitati studentes quatuor primarias tantum adducemus. *Primam rationem* ipsis ipsum *Cælum* suppeditat, *quòd descendisse & ad terram propius accessisse ferunt.* Refert enim *Bodinus Libr. ult. Theatr. Nat.* ex *Copernico* aliisq; 136. semidiametris terræ seu 26600. miliaribus Solem terræ propiorem esse. Hinc *Philippus L. 2. Phys. p. 107.* & cum eò *Dan. Tossanus L. 1. de Senectute c. 4. Aretius T. 2. Problem. 1. Tit. de Vanitate & Otto Casmannus L. 1. Astrol. c. 9,* ad cœlestium terrestriumq; corporum tabescentem
natu-

naturam id referendum sibi pervaserunt. Verumenimverò quid incommodi exindè nostræ accedat causæ, nondum video? Solis siquidem vicinitas aut malis fundatur principiis, aut incerta & variabilis ejusdem est declinatio. Hinc multi præstantiores Philosophi hanc de Cœli propiore ad terram accessu rejiciunt sententiam, asserentes, hanc ab Eccentricitate Solis mutatâ perperam intellectâ proficisci: è quibus *Kromayerus Theol. Pos. Pol. art. 22. thes. 5. p. m. 1190. & Polym. Theol. Spicil. 1. n. 19. p. 542.* Planè absurdam hanc opinionem affirmat *Scaliger Exercitat. 99. p. 342.* imò *Banbridgius*, Astronomiæ in Alma Oxoniensi Antecessor, existimat, declinationem Solis esse *ἀμετάστατον* & differentiam aliquot minutorum, quæ est inter nos & Ptolomæum, ex errore ab antiquis in observationibus admisso, oriri potuisse. Atq; sic *natura naturata ratione cœli non ruit in deterius.*

§. 7. Alterum quod urgent argumentum, desumunt ab Elementis, affirmantes: *Naturam naturatam ratione Elementorum indies labi in deterius.* Aërem enim in suâ temperie defecisse scribunt: scribunt aquarum fluvios multos periisse, terramque tum in quantitate tum fertilitate decrevisse. Sed hæc scribentes ignorantiam suam satis probant. Qvis enim est, qui, si Historicis fidem habeat, non ipsè credat, majorem olim aëris interdum fuisse siccitatem, majorem frigiditatem, pestilentiosem infectionem? Elegans est locus, quem de pestilente aëris infectione & morbis contagiosis habet *Fracastorius L. 2. de Morbis Contagiosis: Hic morbus, de lue venerea loquens, interibit & extinguetur, mox etiam & nepotibus nostris rursus videndus renascetur: quemadmodum & præteritis ætatibus visum à Majoribus nostris credendum est, de quo non pauca indicia etiamnum extant.* Qvis porrò est, qui mare emissos de se fluvios iterum redeuntes excipere negitet? Et, si aquæ, ubi antehac nunquam visæ sunt, extiterunt, tum è contrâ nonnullæ, ubi fluxerant, defluerunt. Eâdem igitur hæc, quæ dicuntur, facilitate & rejiciuntur. Rejiciuntur & facilè ea, quæ de diminutâ terræ

terræ & quantitate & qualitate proferuntur. Quemadmodum enim nil mari decedit egressu fluviorum, qui iterum recedunt: ita nec terræ decedit rebus, quæ inde crescunt & nutriuntur, quia revertuntur in illam. Quæ deniq; de sterilitate terræ proferuntur, omni fundamentò carent. Variis quippe modis fieri potest, ut humus contrahat vitia. Potest singulari divinâ maledictione accidere & vitiò incolarum; ut, quæ loca fœcunda olim fuerint, nunc horrida & inculta reddantur: contrâ verò benedictione divinâ & civium virtute fœcunda, quæ olim horrida & inculta. Exemplò nobis nostra sit Germania, quam Tacitus *Libr. de Mor. Germ.* informem terris, tristem cultu aspectuque fructiferarum arborum impatientem dicit. Conf. & Cluverus *German. Antiqu. L. 1. c. 12. f. 121.* Naturam ergò naturatam nec ratione Elementorum in pejus ruere, invictum manet.

§. 8. Manet & invictum hoc, eandem nec ratione mixtorum corporum tam inanimatorum quàm animatorum irrationalium labi in deterius. Quicquid enim de meteoris, fossilibus, plantis & Animalibus proferunt: nil valet contra bonam nostram causam. Totâ siquidem die vidimus; quod nec utilia defecerint; nec quæ noxia magis nunc, quàm antea sint talia aut magis frequentiora. Æquè nunc pluvia & nix terram fœcundant, ros irrigat, ventus aërem ventilat, Meteora ignita purificant, Irides & alia conspiciuntur: aurum, argentum, stannum, sulphur & id genus alia quotidiè effodiuntur, divites hinc inde metallicæ reperiuntur venæ: plantæ, ligna & arbores è terrâ progerminant: animalium quodvis speciem suam propagat & sui similem gignit.

§. 9. Restat ultima eaq; primaria ratio, quam ab hominum ætate, staturâ & robore petunt. Objiciunt enim isti Naturæ castigatores: homines hodiernos præscis, præsertim antediluvianis, nec staturâ nec robore esse pares: sed jam vite humana spatium tam arctis circumscribi limitibus, ut nihil tam circumcisum, nihil tam breve sit, ex testimonio Plinii *L. 3. Ep. 7.* quàm hominis vita longissima. Verùm licet non eò temeritatis & ve-

B

sanæ

fanix cum *Varrone* ap. *Lactantium* L. 2. c. 13. procedamus :
ut statuamus, annos illos Patriarcharum esse tantum dierum
XXXVI. seu menses non solares; Vid. *Augustin.* L. 15. de
C. D. c. 12. RIVETUS *Commentar. in Genes. Exercit.* 48. f. 192.
& D. STRAUCHIUS *Brev. Chronol.* L. 4. c. 3. qv. 1. p. 378. Licet
concedamus, Patriarchas diutissime vixisse & instar gigantum
fuisse : minimè tamen ex diversitate ista inferri statim naturæ
langvorem posse affirmamus : cum longè alias hujus rei causas
nobis suppeditari possit diligens investigatio. Nimirum factum
id videtur aut propter virtutes & gloriosas utilitates, quas perscru-
tabantur, i. e. Astrologiam & Geometriam, aut propter multi-
plicationem generis humani; unde R. Levi, citante *Genebrardo*
lib. 1. Chronol. longævitatem Patriarcharum providentiæ, non
naturæ, opus appellat; aut propter alimentum, aut denique
propter eorum temperantiam in victu & venere. Præterea habe-
mus hoc constanti observatione : omnibus ferè Seculis in qui-
busdam Nationibus fuisse nonnullos, qui ordinarium anno-
rum ætatis numerum excesserunt. Exempla collegerunt
HENR. MEIBOMIUS *Epist. de Longævis*, BACO *de Verulamio*
in Hist. Vit. ac Mort. f. m. 515. ZACCHIAS *Quest. Medico-Legal.*
L. 3. Tit. 1. qv. 2. n. 26. p. m. 17. & summè Reverendus D.
SCHRADERUS *in Disput. Phys. de Nature senio Lips. Ann. 1670. ha-*
bita, tunc Philosophiæ Magister dignissimus. Quod verò de ætate
diximus, idem de staturâ & robore asserendum. Nam si robur &
statura hominis universaliter & perpetuò deficeret : seqvere-
tur, Adamum fuisse hominum omnium maximum : sed id
veritati consonum non videtur : videtur potius Talmudista-
rum esse deliramentum, qui fabulantur : Adamum principiò
rerum fuisse creatum à fine mundi ad finem mundi; cumque
hic per peccatum jam superfluxisset & putruisset, DEUM ma-
num suam super eum posuisse & usque ad 100. ulnas staturam
ejus depressisse. Hinc firmisimò omninò stat talò : *Natu-*
ram naturatam nec ratione hominis universaliter in pejus ruerè.

§. 10. Superfunt adhuc Testimonia quædam Patrum,
qui

quibus sententiam suam superstruere conantur Affirmantes.
 Nimirum testimonium deducunt primum ex CYPRIANO,
 qui *Libr. ad Demetrian. f. m. 233.* hæc profert: *Illud primò locò
 scire debes, senuisse jam mundum, non illius viribus stare, quibus
 prius steterat, nec vigore & robore & valore, quò antea prevalebat.*
 Alterum depromunt ex *Ambrosii Epist. XLII.* ubi labescentem
 mundi senescentis vigorem quãdam similitudine à Magnete
 petitâ exprimit, hanc faciens applicationem: *Illud idem in
 mundo evenisse manifestum, cum primavâ sui origine omnia vegeta
 magis ac robustiora, sæcundiora, perfectiora, minusq; à scopo suo
 aberrantia deprehendantur, succedentibus seculis sensim ac pau-
 latim rebus omnibus à florenti primariò istò seculò desciscantibus,*
 Favere his duobus Patrum placitis videntur AUGUSTINUS
Quest. V. T. qv. 28. Sidonius Apollinaris L. 8. Epp. 6. p. m. 492 & è
 recentioribus NIC. NANCELIUS *Tr. de Analogia Microcos-
 mi ad Macrocosmum L. 7. col. 1190. E & 1192. C.* Sed quàm pa-
 rùm lucis scenentur isti suæ sententiæ his Patrum autoritati-
 bus; singulis, ni Teresiâ cæciores, patebit. Mirum enim
 non est: talia Patres scripsisse, cum vel tam acerba tùm sæpius
 fuerint tempora ob belli, famis & pestilentiaæ sævitiam: ut
 seculi istius incolæ Christiani diem expectarint extremum; &
 GRASERUS *L. 3. Exol. Histor, c. 5.* secundi & tertii sigilli
 apertionem in illa incidisse scripserit; vel etiam vulgatæ homi-
 num opinioni sese accommodârint, quò eò melius iudicium
 extremum indies imminere plebi persvaderent. Censemus
 itaq; , nullis rationibus, nullis testimoniis, firmam reddi posse
 Affirmantium sententiam: potius inconcussam semper ma-
 nere nostram Assertionem: *Naturam naturatam universaliter
 & perpetuò minimè in deterius labi.*

§. II. Constat verò illud tùm ex Collatione ætatum pri-
 orum, quotquot à C. N. extiterunt, tùm etiam certis è ratio-
 nibus. Posteaquam enim ficulneas plebis rationes & infirma
 testimonia perlustravimus, operæ pretium nos facturos con-
 fidimus, si promissis stemus & paucis deniq; assertionem no-
 stram tùm ex Collatione Seculorum tùm è ratione rectâ con-



firmemus. Qvis itaq; in Veteribus Amicis, sic *Tullius* libellos appellat, tam hospes ac peregrinus: ut ignoret, omnem ætatem suos tulisse nævos? Quid enim, Nonne *Tacitus Annal. L. 3.* de Armeniâ refert: Hyemem tam sævam ibi Sec. 1. fuisse, ut, obductâ glacie, nisi effossa humus, locum tentoriis non præbuisset? Nonne Seculô X. in fine mensis Julii lacus & undæ tam constrictæ erant glacie, ut pisces omnes fuerint emortui & magna aquæ penuria? Nonne *Livius* Romæ multos è plebe, ne diutinâ fame cruciarentur, capitibus obvolutos in Tiberim se præcipitâsse scribit? Nonne idem Sec. VI. in Angliâ tempore Cissæ, Australium Saxonum Regis, accidit? Nonne aliquando in Græciâ, notante *Thucydide*, tanta aëris infectio fuit, ut aves infectæ deciderent, & rapaces à cadaverum abstinere esu? Nonne sub Vibio Gallo & Volutiano, teste *Pomponiô Lato & Zonara*, pestilentia duravit sine intermissione per XV. annos & Alexandriæ ne unica domus libera fuit? Nonne sub Justiniano Constantinopoli interdum 10000. mortui sunt? Nonne Seculô XIV. Londini tot aër infectus absumsit intra XII. menses, ut in unô cœmeteriô 50000. fuerint sepulti? Nonne Sec. XII. Sylvæ præ nimiô accensæ sunt ardore? Nonne Germanici Annales produnt, Sec. XIII. tantum fuisse æstum, ut messis terminata fuerit ante festum Johannis Baptistæ? Nonne Sec. XV. Bohemica Sylva XIIIX. septimanis arsit? Nonne Danubius ita exaruit, ut multis in locis tranari potuerit? Nil vel parùm de hisce malis nostrum Seculum.

§. 12. Seqvuntur rationes pro stabiliendâ nostra sententia. Argumentamur verò (1.) à *potentia divina*, quæ non minus in sustentatione totius Operis se exerit, quàm in creatione Ejusdè se exeruit. (2.) à *benedictione divinâ* in Creationis Opere facta, quæ in hunc usq; diem tam firma, tam constans & efficax est, ac in primô momento. (3) à *contrarietate cum scriptura S.* Si enim semper in deterius rueret naturata natura; per regulam proportionis dies & hora expirationis illius prædici posset. At id Scripturæ maximè contrariatur. (4) *ab ipsius nature indole*

dole & agendi modo. Naturam enim semper unô & eodem modô egisse, agere adhuc & acturam esse ex inductione omnium Corporum naturalium probat *Jonstonus* cit. loc. (5.) *ab absurdo*. Si enim quædam mundi partes perpetuò decreverent, nec aliæ accrescerent; sequeretur aut diminutio aut abolitio. Si sic verò incredibilis inter illa consequeretur proportio & hanc infallibilis ruina. Et certè defuisset jam per hos aliquot mille annos in cœlô influxus, in Elementis transmutatio, in mixtis virtus. At Consequens est absurdum, E. & Antecedens. Nec desunt nobis testimonia Veterum idem statuentium. Sic enim *Plinius* L. 6. Ep. 21. *Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassæ & effæta natura: ut nihil jam laudabile pariat. Et Plutarchus eandem naturæ uniformitatem admiratus inquit: Tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus temporibusque constantia. Non potuit aut olim sine provido artifice oriri aut constare tot seculis sine incola potente, aut in perpetuum gubernari sine perito & sciente Rectore, quod ratio ipsa declarat.*

§. 13. Atque sic evidentissimis his rationibus ac clarissimorum Scriptorum testimoniis adductis, adductâ & Collatione priorum temporum summariâ, firmiter tandem concludimus: *Naturam naturatam per posteriorum temporum cum prioribus collationem nec ratione sui totius, nec ratione partium universaliter & perpetuò in pejus ruere.*

SECTIO II.

§. 1.

RItè recteq; jam examinatâ primâ quæstione physicâ, altera *moralis* nempe succedit quæstio: *An Ætas nostra Patrum ætate & moraliter sit peior: utpote quæ posterior quæstio ex Horatii nostri verbis propriè elicienda: cùm priorem tantum occasio-*

B 3

fiona-

ionaliter exinde desumere volupe fuerit. Scilicet eâ erroris opinione inducuntur plurimi, ut credant, virtutes per ætatem mundi senescentis emedullatas parum aliquid & in paucis mirandum ostendere, sed abiisse ad superos. Summâ: *Ætatem nostram longè vitiosorem esse priscis temporibus.* Verùm quàm firma sit eorum fides, unicuiq; cordato viro considerandum relinquo. Quantum ad me & eos, quos sequor, assero: nihil esse sub Sole novi, semper visam mundi eandem larvam, neq; nunc in vitio quicquam poni, quod antiquis olim insolens fuerit, adeoque nostram ætatem nec moraliter esse pejorem Patrum ætate. In hoc enim rei totius cardo vertitur: *An Ætas Parentum pejorem avis tulerit, & nos nequiores, mox daturi progeniem vitiosorem feramus.*

§. 2. Requirit verò nostra Methodus, ut prius, quàm nostram sententiam vindicemus, Adversariorum rationes Horatii autoritate suffultas infirmandò paucis proponamus. Communis igitur querela & omnium rationum summa in eò consistit: quòd jam perversissimos seculi sui mores deplorent, & hanc omnium nequissimam esse ætatem clamitent. Deplo- rant nempe illi effrenatissimos seculi nostri mores, clamitantes, nullum vitium, nullum scelus, nullum flagitium excogitari posse, quod longè eminentiori gradu præsens non ferat ætas. Ætas fanè anteriori longè pejor, deterior extremæque nequi- tiæ plena. Sic equidem satis speciosè seculi nostri accusatores ejusdem mores accusant: sed quàm prudentiâ & veritate, ex Collatione priorum temporum certisq; rationibus patebit. Elegans locus est, quem *Lactantius L. 5. Instit. c. 7.* habet: *DE- US, ut parens diligentissimus, appropinquante ultimò tempore nun- tium misit, qui vetus illud seculum fugatamque justitiã reduceret, ne humanum genus maximis & perpetuis ageretur erroribus. Re- diit ergò species illius aurei temporis.* Verùm ne prolusisse tan- tum dicamur, & ne ipsa veritas adversus communem opinio- nem nullò adjuta patrociniò videatur, illa proferre breviter meditabimur; quæ in vitâ communi eveniunt vulgatissima, eâ quidem serie, quàm divinæ legis monumentum tabulis con- signatum accepimus.

§. 3.

§. 3 Percurramus igitur Decalogum & legem divinam
omnibus præscriptam hominibus: examinemus inde priorum
Seculorum mores & iustum cum sanâ ratione iudicium ad-
jungamus: Sole meridianô clarius patebit, cui parti patro-
cinetur veritas. Ad primam verò Decalogi tabulam, quæ
officium nostrum erga DEUM præscribit, quod attinet: inde
usq; à primis mundi annis fuisse, qui Idolis, Diis alienis
imaginibus q; sacrificarent, quis negabit? Numerus enim
Deorum tam ingens apud paganos fuit, ut ferè facilius potu-
isses DEUM invenire; quàm hominem. Conf. BOCCACIUS
de Genealog. Deor. CRINITIUS *de Honest. Discipl. L. 3. c. 14.*
HILDEBRANDUS *Disc. Orat. p. 189. & Cent. V. Epp. p. 63.*
DEMPSTERUS *in Antiqu. Rom.* & SELDENUS *de Dis Syris.*
Porrò nemo & inficias ibit, blasphemias in DEUM minimè aut
novas aut raras aliis ante nos Seculis extitisse. Nil quippe
aliud de Gigantibus aut Cyclopibus in S. paginis sentiendum,
quàm fuisse eos divini Numinis contemptores, cuius omnia ful-
mina vel unô ventris ictu (*horresco referens!*) displosurum se
quispiam ex illis apud *Euripidem* iactitabat. Et fuerunt omni
ævô Pharaones, Sennacheribi, Nabuchodonosores, Holofer-
nes & Nicanores. Multos cum viveret, plures cum ad Ache-
rontem abiit imitatores habuit *Julianus*, qui blasphemâ voce
abiit. Vid. *Zosimus L. 3. p. 778.* & Patronus ac Præceptor no-
ster cum curâ colendus, Dn. L. RECHENBERGIUS *Disput.*
de Juliani Imper. apostasiâ §. 28. & 29. Nec est prætereà: quòd
hanc animo sententiam imbibamus; malitiam illam astutam,
artem fallendi, quæ ferè prudentia quibusdam dicatur, & cum
juramentis ludendi, nostri seculi tantum esse flagitium. Illa
enim *Lysandri* vox quâ non ætate mundi exaudita & compro-
bata fuit, perindè homines juramentis esse circumveniendos atque
pueros frustrari astragalis solemus? Decipere inquit PLINIUS;
pro moribus temporum prudentia est. Quòd si quis existimet,
nunc demùm cœpisse Sabbatum profanari, nunc ex verbo
DEI revelatô non rectè intellectu nefandas hauriri hæreses: is
se in temporum ignorantia versari & rationem Ecclesiæ perpa-
ram

rūm novisse fateatur, necesse est. Illud enim ex S. Codice
tām certum est, quam quod certissimum. Conf. Magnif. D.
ALBERTI, Præceptoris ac Promotoris nostri sanctè colendi,
Disp. Theol. de Sabbati Sanctific. & Profanat. & BUXTOREII
Synagogen Judaic. c. 2. Ingemiscentem Ecclesiam jamdudum
in sinu quoq; suo tulisse hæreses multas, testatur Historia Eccle-
siastica.

§. 4. Jam ab iis digressi, quæ DEO præstanda erant, ad
ea veniamus officia, quæ mortales vi alterius Decalogi tabulæ
sibi mutuò debent, videamusq; an hōc tantum mundi seniō
homo homini lupus esse cœperit. Atq; ut à quartō Decalogi
præceptō, quod officium liberorum erga Parentes, subdito-
rum erga Magistratum, Discipulorum erga Præceptores com-
plectitur, telam istam exordiamur; triste est, ingenuè fateor,
pœnæ divinæ spectaculum, nullam nunc esse Parentum & Ma-
gistratum reverentiam, nullam liberorum pietatem, nullam
subditorum fidem, nullam discipulorum gratitudinem, &
obedientiam. Sed eandem peccandi licentiam *Horatius* jam
more suo *Libr. de Art. Poet.* arguit, canens: *Imberbis Juvenis
tandem &c.* Et quod nos tantoperè expetimus communi &
callidissimō voto: illud quondam *Tullius* ingenti reqvirebat
desiderio, scribens: *Nullum munus Reipubl. adferre majus meli-
usvè possumus, quàm si doceamus atqve erudiamus juventutem, iis
præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est; ut
omnium opibus refrenanda atqve coercenda sit.* Nec posteris Se-
culis felicior Roma in liberorum disciplina fuit. Torpebant
siquidem ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius rei hone-
stæ labore vigilabatur, cantandi saltandiqve obscœna studia
effœminatos tenebant: capillum frangere, ad muliebres blan-
ditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœmi-
nis & immundissimis se excolere munditiis, adolescentum spe-
cimen erat. Subditos Regibus suis persæpè observantiam de-
bitam negasse, omnium temporum Historiæ loqvuntur. Ipsos
deniqve morum formatores & institutores juventutis pesti-
mam dudum iniisse gratiam, testatur *Comicus*, in cujus Bac-
chidi-

chidibus, nescio utrùm sui an nostri seculi infelicitatem & imprimis Præceptorum in Scholis miserias deplorat, LYDUS.

§. 5. Quintum succedit Præceptum, quod, ne violentas manus nec aliis nec nobismetipsis inferamus, prohibet. Sed quot nunc Regicidæ, quot parricidæ, quot latrones, quot *αυτοχρητες* hodiè reperiuntur & dudum reperti sunt? Quis, Oziam cruentâsse manus infami cæde optimi Patris Amosi, ignorat? Cui est obscurum, quò ausu Clytemnestram matrem interemerit Patris malus ultor Orestes? Quem Neronis scelus fugit, qui Matrem, quam prius stupraverat, è vivorum numerò sustulisse apud *Svetonium in Ejus vitâ* legitur. Neq; enim minùs ac hodiè amicitia fratrum & propinqvorum fuit rara ac cara. Longum admodum temporis intervallum est, ex quò *Naso Metamorph. L. 1. Fab. 4.* suos allocutus est coætaneos:

Non hospes ab hospite tutus,

Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.

Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:

Lurida terribiles miscent aconita novercæ:

Filius ante diem patrios inquirat in annos.

Verùm non inter parietum latebras aut domi tantùm; sed & in aulis Principum ac Regum palatiis eandem tragœdiam cruentò apparatu fuisse exhibitam, omniq; ævo extitisse Regicidas, Romana narrat Historia. Narrat illa, ex XII. Cæsaribus V. tantùm placidâ obiisse morte; VII. reliquos vel venenò sublato vel multis vulneribus confossos, plerosq; suorum manibus periisse: ex iis verò, qui hos secuti ante & post avulsum Occidentis Imperium, plurimos identidem nefariò ausu trucidatos fuisse, eadem narrat Historia. Minimè igitur est inauditum, sed compertum diutissimè: Magnatibus insidiari homines nefarios medicatis potionibus, pulvere pyriò, gladiis & sclopetis. Nec ad nostri tantùm seculi infamiam pertinet, multos dari latrones & homicidas: cum Romanorum crudelitas tum in funeribus & Sacris Festis, tum & per lusum & jocû in

C

thea-



theatris homines innocentissimos trucidandò & bestiis objici-
endò, satis fit nota. Confer. KIPPINGII *Antiqv. Rom. L. 2. C. 6.*
p. m. 447. seqq. Verùmenimverò non in alios tantùm, sed in
semetipsos etiam semper sæviisse mortales, in promptu est. *Au-*
Exeçia siquidem non modò commissam à plurimis, verùm
etiam à Seneca multis in locis approbatam fuisse, inter singulos
constat. Constat & inter omnes, omni tempore fuisse, qvì
computationibus crebris in propria desævirent corpora, ea
demoliendò, fortunas & opes dilapidando & animas deniq;
ipfas Diabolo oppignorandò. Potatorias enim concertatio-
nes ad ebrietatem nullò non ævi articulò ad furorem usq;
institutas fuisse & celebratas, satis notum est. *Apud Germanos,*
diem noctemqve potandò continuasse, nulli probrum fuit: cùm
crebra, ut inter vinolentos, rixæ, rarò convitiis sepè cade & vulneri-
bis transigebantur; scribit TACITUS Libr. de Mor. Germ.
Neq; probrum id fuit Romanis ipsis, quippe qvì immania verè
symposia eòdem tempore instituire consueverunt. Consue-
verunt & Græci bibendi virtute dudum gloriam sibi qvæ-
rere. Hos enim, à minoribus incipientes poculis, progressos paula-
tim ad capacissima esse, si quis nescire se dicit; nescire se idem
fateatur, necesse est, quid græcari, quid pergræcari dictum
olim fuerit. V. MARTINIUS *Lex. Philolog.* De ipsarum mu-
lierum inebriatione scribit SENECA *Natural. quest. L. 4. c. 13.*
Non minus pervigilant mulieres, non minus potant, & oleò & merò
viros provocant; æqvè invitis ingesta visceribus per os reddunt, &
vinum omne vomitu remetiantur; æqvè nivem rodunt solatium sto-
machi estuantis. Licèt verò inficias non ibo, in conviviis no-
stris opportunam esse admodùm uberemqve inebriandi occa-
sionem, quæ sumatur ex illis cyathis, quos sanitatis vocant:
eandem tamen consuetudinem à Græcis & Romanis per lon-
gissima annorum spatia ad nos traductam fuisse, in aprico
est.

§. 6. Sed à qvintò ad sextum præceptum seu ab ebrie-
tate transeamus ad illicitas voluptates: quum certum sit,
ven-

ventrem mero æstuantem despumare in libidinem & ex mem-
brorum hâc vicinitate vitiorum seqvi confœderationem...
Nullum verò nunc voluptatis genus excogitari posse, quò
non infamata aliquando fuerit Antiquitas, non dico, dome-
sticâ ignominiâ, quæ parietum latebris potuerit tegi, sed thea-
triciis insuper convitiis, fatis abundè liquet. Ostendere ean-
dem voluptatem possunt sola *Festa Floralia*, mense Majo cele-
brata in honorem Floræ nymphæ, in quibus meretrices, sub
titulis *Prostitutæ*, nudæ per plateas discurrebant, verba ob-
scæna cum gestibus adhibentes & armis gladiatoriiis depu-
gnantes, ut notant *Scholiastes Vetus ad Juven. Satyr. 6. v. 249.*
STATIUS *Sylv. L. 1. Carm. 6.* SVETON. *L. 12. c. 4.* MARTI-
ALIS *L. 1. Epigr. 3,* & OVIDIUS *L. 5. Fastorum.* Nil itaq; de
antiquioris mundi luxuriâ, nil de infaustâ Sodomæorum vo-
luptate, nil de Sichemitis, Israëlitis, Benjamitis, Babyloniiis,
in quorum civitate liberis & conjugibus permittebatur amore
surreptitio cum hospitibus uti, modò flagitio pretium consta-
ret, dicemus: dicendum hoc tantùm de Romanorum impu-
diciâ: quòd apud eos, si quisquam è juventute usurarium
cepisset corpus sceminae, pro leviculo id habitum fuerit risu
dignum, pro flagitio minimè. Et dudum est, quo Satyricus
ille cecinit:

Antiquum est vetus est alienum, Posthume, lectum

Concutere atq; sacri genium contemnere fulcri.

Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas:

Viderunt primos argentea secula mæchos.

§. 7. Ordo monet, ut de septimò quoq; præceptò & rerum
seu facultatum possessione videamus: possitne hæc posterior
ætas hòc prætextu videri deterior illâ, quam Majores nostri
decurrere? Nota equidem est furum audacia, crumenifecarum
fraus & versutia, qui tam versatiles picatasq; manus habent:
ut, quoquò se insinuent, nonnisi prædâ locupletati discedant.
Sed nec veteribus defuerunt manticularii, quos *Festus* noverat.
Nec Græcia βαλανιοτόμος nec ipsa Roma Sectores zonarios è

scena proclamatos, ignorabat. Ignorabat verò utraq; exactam in negotiatione, contractibus & venditionibus justitiam & æqvritatem: videbat contrà depravatis mercibus non minus, quàm à crumenifecis factum diximus, civium exenterrari marsupium, nullibiq; carius aqvam vendi, quàm incestuosâ Bacchi & Nympharum commixtione, ut *Tertullianus* sapienter & ad rem appositè disserit. Errant prætereà, qui illud novum esse putant: quòd ex pecuniis alienis splendidè vivant multi: quòd, cum Creditori restituendum, quod suum erat, vorfuras faciant & pedibus salutem suam credant plurimi. Acta quippe fuit eadem fabula apud veteres & dudum hâc de re questis sunt Autor Ecclesiastici sapientissimus *Cap. XXIX. 4.-9.* & gravissimus ille ætatis suæ Castigator, scribens: *Latè quidem possident, sed interim multum debent. Habent domus formosas: sed alienis nummis paratas: familias speciosas producunt, sed nominibus non respondent. Si Creditoribus solverint, nihil illis supererit. Mali sunt computatores & aestimatores, quantum proprii possideant, ipsi non excutiunt.*

§. 8. Ad animum porrò admittendum; nullum circa præceptum octavum audiri calumniæ genus delationisq; hoc seculò posse: quin plurimis ante nos annis solenne idem fuerit, secretis criminationibus infestare ignaros, & quò incautiùs laqueo inducerentur, palàm laudibus vehere. Obtinerunt id dudum clancularii susurriones apud bonos etiam viros, maximè tamen apud Tyrannos. *Tiberius* enim lucrì quæstusq; gratiâ tantum tribuit accusatoribus: ut nemini non fidem adhiberet, sive veri quid referret, sive fumum pro igne, sive nubem pro Junone, ut dici consuevit, venderet. *Herodes* innocentissimum quemque, ut erat calumniosè traductus, è vestigio raptum trucidavit: oblitus, quod reminisci oportebat: *Innocentem fore neminem, si accusasse sufficeret.* Explorare hinc ulterius si luberet, quàm incorruptè omni tempestate iudices pro æqvritate aut justitiâ sententiam dixerint: satis scio, occurret sive *Ovidius* sive *Propertius* & sacram auri famam culpa-

culpabit iudicum : qui secundum eos, à quibus plus acceperant, litem dabant. Nec est denique : cur nos soli amicitiam fucò incrustatam & fallaciis doleamus : cum vix priscis temporibus unò seculo duo paria extiterint, qui & in amicitia fecerint paria, quorum mens & lingua divortium non admiserit. Conquestus hanc de re est *Naso L. 2. de Pont. Eleg. 3. canens* :

Illud amicitie quondam venerabile nomen,

Prostat, & in questu pro meretrice sedet.

§. 9. Restant denique juxta nonum & decimum præceptum mores hodierni seculi examinandi. Sed eheu ! quò radix omnis mali, avaritia hinc non rapuit mortales ? Quis non omnia, quæ proximi, bona exoptat anxie & desiderat ? Inveteratum verò hoc esse malum, præter innumeros divitiarum thesauros Romanorum modi divitias acqvirendi testantur. Præcipui enim per rapinas, extorsiones, fraudulentas decisiones & summas deniq; molestias fiebant. Sic *Vespasianus*, qui bonus aliàs audiebat Imperator, negotiationes vel privato pudendas palam exercuit ; coëmendo quædam tantum ut pluris postea distraheret. Creditur etiam rapacissimum quemq; procuratorem ad ampliora officia ex industriâ solitus promovere : quò locupletiores mox condemnaret : quibus quidem vulgò pro spongiis dicebatur uti : quòd quasi & ficcos madefaceret & exprimeret humentes. Adeò scilicet Romanorum avaritia tunc omnia aliena bona & vi & fraude ad se rapiebat & quasi devorabat : ut *Salvianus* verè *L. 7. de Prov. Avarit.* videatur dixisse. *Inhumanitas Romanorum proprium malum.* Nemo igitur amplius dubitet, sed potius firmiter credat, omni tempore in animis mortalium regnasse concupiscentiam ad acqvirenda sibi proximi bona tum mobilia tum immobilia. Quid verò de reliquis Seculi malis, quid de prodigalitate in conviviiis, quid de vestimentorum pretio, quid de luxuria in ædificando, venando, ludendo & aliis omnibus vitiis dicemus ? Dicemus brevibus quod res est : Nil

mentem humanam comminisci posse, quod non priscis fuerit nobiscum commune: nihil nunc peccari, quod non peccatum prius fuerit.

§. 10. Institutâ sic priorum temporum collatione obstant porrò, quod minus in affirmantium transeamus castra, certæ quædam rationes, quæ adhuc vi methodi nostræ audiendæ, antequam triumphum cantamus. Vereor autem maximè: ut divinæ Majestati hîc injuria inuratur & laudabilibus hominum conatibus injiciatur remora. Nam si supremus rerum Arbiter non vult, ut tantâ Ejus Nomen colatur reverentiâ, quàm Patrum ævo factum, cur toties id à nobis exigit? Si vult, cur non tantum largitur virium, quantum Majoribus concessit nostris? Thesaurum verò potentiæ divinæ exhaurire, omnipotiæ contradicit. De Mortalium conatibus res certa est, non minùs in eorum mente præconceptam valere diffidentiam; ac in gravidis valeat imaginatio & in Melancholicis conceptus firmiter impressus. Verè hinc *Quintilianus Orat. 12. Si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se melior fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur; ii ipsi, qui sunt optimi, non fuissent.* Accedit: quod si ab Horatii ævò semper mortales deteriores facti essent, moresq; eorum indè usque decrevissent; non amplius homines, sed bestia, imò ipsis bestiis feriora carcinomata superessent; quæ neglecto veri DEI cultu & posthabitis omnibus bonis moribus ex tempore secura, quod pes ferat, viverent. At consequens est absurdum, E. & Antecedens. Licèt itaque nullâ ratione concedamus: ætatem nostram priori esse pejorem: affirmare tamen nolumus, semper & in omnibus locis auctam fuisse hominum probitatem; sed omninò agnoscendum putamus: rebus cunctis inesse quendam velut orbem, & quemadmodum temporum vices, ita morum, verti. *Hoc majores nostri questu sunt, inquit L. 2. Benef. c. 10 SENECA, hoc nos querimus, hoc posteru nostri querentur, everfos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi.*

§. II.

§. 11. Cuilibet nunc cordato Viro judicandum relin-
quo, utrum prior ætas posteriori, an hæc illi deroget, & quàm
longè à veritatis tramite aberraverit, mores seculi semper de-
teriores atque vitiosiores futuros pronunciando, HORATI-
US. Ex hæctenus enim dictis vel fugitivo oculo apparebit,
Horatium vel maximè hanc ob causam reprehensione dignum
esse; quòd, dum ex vulgi opinione ætatem moraliter pejorem
fieri affirmet; & physicè eandem in deterius labi concedat.
Ætatem siquidem nostram nec physicè nec moraliter in pejus
ruere perpetuò & universaliter tum ex collatione priorum,
temporum summariâ tum certis iisq; firmis rationibus pro vi-
ribus tenushac ostendimus. Si verò unius & alterius desi-
deria non expleverimus in themate hoc pertractando: illum
rogatum volumus submissè: velit juvenili nostro conatui pro
æquanimitate suâ ignoscere, & sin hoc detrectet, sibi persva-
sum habere: nos nec Ejus censuram rigidiorum pro novo æta-
tis nostræ fœtu vendituros esse, sed eadem nobis pollicituros
fata, quæ cordatiorum dudum fuerunt Virorum.

§. 12. Verùm ante quàm colophonem Commentati-
oni nostræ Philosophicæ imponamus, præmonendum hoc
unicum esse existimamus: nos hîc nequaquam, vitia seculi
præteriti enarrandò, approbare tam fœdam mundi larvam, nec
vitiis calculum addere velle; sed totâ Commentatione id tan-
tùm intendere: ut fugere turpia, honesta appetere studeamus
& rebus omnib; neglectis, labem nostrâ originariam quotidia-
nis vitiis & malitiâ auctam agnoscamus, descensuri hõc modò
in nosmetipsos: ubi exploratum hæc contemplatione habueri-
mus: nihil fuisse in mundo unquam ita depuratum à vitiis,
quod odorem DEO gratum exhalare potuerit. Neque mun-
di uniformis turpitudine quenquã in argumentum vel securita-
tis vel licentiosæ impunitatis trahet: cum certum sit, semper ho-
mines ob publicè privatimq; commissa flagitia suppliciis etiam
publicis privatisque in ordinem fuisse coactos. Discamus
potius inde frustrâ à nobis temporis iniquitatem accusari, qui
intus

94 760
intus geramus capitalem hostem, cuius vitioso appetitu efficiatur, ut nos in ipsum tempus injurii reperiamur. Corriganus itaque, si sapimus, vitia nostra, & tempori nihil erit, quod imputare possimus. *Hominum sunt ista, non temporum.* Tu vero


*Porrige de caelo, DEUS optime, porrige dextram,
(Nam potes) & motus animi compeste rebelles;
Et sevos hominum mores & pectora lava
Flamine ter sancto verboque potente refringe:
Ne, stolidi sanctum si forte laceffere Numen
Pergimus & scelerum furiis jaclamur & aestro,
Ardeas vindex, DEUS, extimulatus in iras,
Et mortale genus poenas expendat in orco!*

SOLI DEO GLORIA.

ADDITAMENTA.

- I. Prudens sane celeberrimi aevi nostri Jacobi est effatum: *Plerique animum perficere laborant, pauci perficiunt, officium plurimi. Est animus instar scintillae, remove favillas, ipse vires suas exeret. Sed plerique sub favillis locorum communium & praedudiciorum autoritatis humanae scintillam hanc suffocare intendunt.*
- II. Somniorum quaestionem magnum sermonum esse campum magnamque disputandi materiam, rectissime sentit Franciscus Petrarca.
- III. Ea est voluntatis humanae labes, ut ne verissimo quidem evidentissimoque iudicio se commoveri semper patiat; sed praeviorum potius pedes sequatur, quam rectum iter monstrantium digitos.
- IV. Nemo sibi unquam idoneus est testis.
- V. Tutius remittitur, quam vindicatur invidia.

TANTUM!



107

Fragment of text from the adjacent page, including words like 'er', 'lit', 'ib', 'or', 'ca', 'it', 'it', 'it', 'mi', 'u', 'er', 'ib', 'in', 'p', 'p'.

ULB Halle 3
003 015 971







Q.K.

